Bibliothèque numérique

medic@

Marteau, Pierre Antoine. - Quaestio medica de Pierre Antoine Marteau, natif d'Amiens, présentée à Amiens le 16 janvier 1764

1764.
S.l. : s.n.
Cote : BIU Santé Pharmacie : Dossier 311 (53)

PARIS biu Santé

Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?pharma_dos000311x053

ad 311

D. O. M.

Uni & Trino, Virginique Dei-paræ & D. Lucæ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

PROPOSITA AB ILLUSTTRISSIMIS D. D. DECANO *ET DOCTORIBUS MEDICIS COLLEGII AMBIANENSIS* PRO AGGREGATIONE DISCUTIENDA.

An Febre continuâ incipiente, unà erumpentibus ſtatâ periodo Menſtruis, baſilica potius quam ſaphæna ſecanda.

I.

A Pubertate ad ineuntem ſenectam ſanguineum è vulvâ ſtillicidium, ſingulis menſibus periodicum, patitur ſequior ſexus Illud uteri plethoræ referendum. Certum quippè ſanctorianâ ſtaticè manet ſecretiones & excretiones in fœminis ingeſtæ materiæ minimè reſpondere. Hinc neceſſe eſt ſenſim ſine ſenſu ſanguinis copiam auctuari, vaſa turgeſcere, fieri plethoram. Ex ipſis autem genitalium latebris cur ſanguis effluat docet peculiaris uterus fabrica. Eſt uterus viſcus cavum. Conſtatur pluribus tunicis flexilibus & elaſticis, quarum ſimul unitarum parietes ſatis ſolidos, at tamen ſpongioſos, & expanſiles interrepant innumera vaſa ſanguifera exilioribus donata tunicis, ad ſummam extenſionem prona, deſtituta valvulis, & ad perpendicularem lineam reſpectu horizontis facile accedentia. Quantulos appulſui ſanguinis obices opponere valeant ex his conjicitur. Verò etenim ſimile non eſt cavum & mollioris texturæ viſcus, quo tempore ſua non impleatur capacitas, affluentibus liquidis multum reniti, aut tenellorum vaſorum diſtenſionem non ſinere. Ibi igitur fiat plethora localis neceſſum eſt, quoad uſque hæc eadem nimio infractu in uteri cavum vaſa crepent, profluviumque ſeroſo-ſanguineum impertiantur. Hoc eſt in muliere non gravidâ vegetæ ſanitatis principium & fons.

II.

SI ſint catamænia congeſtæ per menſem plethoræ ſoboles, quantò major ea ſit ſi unà cum erumpentibus ſtatâ periodo menſtruis ſuperexardeſcat febris continua! Febrili fervore expanduntur & rareſiunt fluida. Hinc notabilior in toto corpore vaſorum plenitudo, perindeque major flexilium uteri venarum diſtenſio, non abſimili ratione quam quâ cætera corporis vaſa ſolito plus intumeſcunt. Exindè nemo non inferat difficilis plenum opus aleæ ſuccedere, ſi in ipſomet continuæ febris inſultu ſupprimantur menſtrua. Si etenim in ſingulis affectionibus quoddam præ cæteris organum excretioni deſtinaverit, invitam eò detorquere quò recalcitret innocuum non eſt. Quid non diſcriminis immineat, occaleſcente muliebri ſentinâ, in iis rerum circumſtantiis cum major eſt uteri infarctus quam ſanitatis tempore. Sanguis quâ quâ verſus irruit. Hinc vaſorum in naribus, pulmonibus, ventriculo, inteſtinis diſruptiones, dilacerationes; aut nobilioribus in organis eorumdem obſtructiones, unde inflammatio, convulſio, peripneumonia, delirium, mors. Hæc autem ſimptomatum caterva ne fluentibus menſtruis baſilicæ pertuſionem preſſo pede ſubſequatur vereare.

III.

HUJUS venæ ſectionis effectus ut æquâ lance trutinentur, examinandum venit quibus ſe ſe legibus regat circulatio, dum ſanguis è brachio educitur. Applicata ſtrictè ligatura ſecandæ venæ columnam duas in partes dividit. Pars inferior intumeſcit appulſu continuo ſanguinis ex arteriâ in venam. In ſuperiore vaſis parte intercepitur ſanguis ad cavam ſuperiorem manente ligaturâ non rediturus. Eo etenim ſpoliatur impulſu quem ab arteriâ mutuabatur, & ſine cujus ope ulteriùs progredi non poteſt. Non modo igitur cava ſuperior eâ defraudatur ſanguinis quantitate quæ aperturâ effluit, ſed & eâ etiam portione quæ impulſûs arterioſi defectu in ſuperiore baſilicæ trunco ſtagnat, & conquieſcit. Intereà autem cava inferior, non cohibitâ impultrice arteriarum vi, ſemper eamdem ſanguinis copiam dextræ cordis auriculæ ſuppeditat, cavâque ſuperiore præpotens ſe ſe facilius exonerat. Quid inde? repentina ſanguinis ex utero dimotio, ſubita revulſio, extemporanea vaſorum depletio. Fieri enim non poteſt ut cava inferior propemodum totam perennandæ circulationi copiam ſanguinis ſubminiſtret, quin ſubjectis ſibi viſceribus eamdem detrahat.

IV.

NEQUE verò à ſaphænæ aperturâ ſimile quidpiam reformidaverim. In complicato caſu ſic indicationi ſatisfaciendum ut indicatio contraria non negligatur. In continuæ febris invaſione nulla ſupponi poteſt viſcerum inflammatio. Alias febris eſſet è ſimptomaticarum genere, non ex eſſentialium familiâ. Sed eam, quæ non adeſt, mox adfuturam præpedire inflammationem Medico ſacri eſt officii. Dum motu partium violentiore concutitur repetitiſque ictibus diverberatur ſanguis, non aliter atque lac igne ſuper ebulliens in ſpuriam molem augetur arteriis & venis vix continendam. Movendorum ergo expanſis in vaſis liquorum copiam adauget, validioremque pro fortiori in elaſticos parietes actione renixum patitur. Acceleratur fluidorum velocitas. Minimulorum intra canalium anguſtias hærent craſſiores moleculæ, quas ſuo diluente vehiculo febrilis exæſtuans calor orbaverit. Hæc in ſynocho prima inflammationis exordia. Quæ cum ſint ſive nothæ, ſive genuinæ plenitudinis fœtus, ut venæ ſectione præcaveantur ſuadet prudentia, experientia præcipit. Sic enim juſtos intra limites continenda eſt febris ut nec exorbitet, nec torpeat nimium; ſic temperanda ut diſcutiendæ, ubipiam ſit, materiæ morbificæ ſufficiat, non hùc illùc diſflandæ.

V.

PRÆSENTIBUS autem ſtatâ periodo menſtruis, ad vaſorum depletionem, moderandamque incipientis continuæ febris effervescentiam nihil æquè confert ac ſaphænæ pertuſio. *Quò etenim natura vergit eò ducendum* præcipit Hypocrates, *viis ac locis utiliter eò ferentibus.* Quid porro naturæ determinationi conſentaneum magis quàm è ſaphænâ ſanguinis eductio? Cæterarum adinſtar ſanguinis miſſionum turgeſcentis fluidi exceſſum imminuit ſpoliatione proficuâ, ſub eoque reſpectu paribus concelebranda venit encomiis. At nedum muliebris fluxûs impetum retundat, quin imò aut adjuvat, aut utiliter ſupplet, ſicque naturæ moliminibus obſequiſior futuræ inflammationi magis proſpicit. Quemadmodum enim è brachio ſenguinis miſſio non niſi cavæ inferioris diſpendio perficitur, ſic miſſus è ſaphænâ non niſi cavæ ſuperioris impenſis evacuatur. Intercipienti etenim fluidorum reditum ligaturæ mirè in hunc effectum connivent & opitulantur pediluvia. Iis ſcilicet emolliuntur & relaxantur vaſorum tunicæ rareſitque ſanguinis. Sic pro ratione minoris reſiſtentiæ majorem ſanguinis copiam vaſa pedis excipiunt, minimamque cavâ inferiore ad cor traducunt. Proindèque juxtà menſtruationis leges, & naturæ vota, verſus inferiora ſecuriùs flectuntur humorum directiones.

Ergo febre continuâ incipiente, unà erumpentibus ſtatâ periodo menſtruis, ſaphæna potiuſquam baſilica ſecanda.

ASSERTA.

Tuſſi parvorum clangoſæ emeſis.
Puerperis aliquando [illegible].
Pulmo plurium morborum ſedes.
Febris ſolâ frequentiâ pulſûs conſtituitur.

PROBLEMA.

An à potibus ſpirituoſis præmatura ſenectus?
An aer vitæ ſervandæ neceſſarius?
An cauſa vitæ cauſa mortis?
An veſtes pelliceæ [illegible] ſalubria.

PARADOXA.

Mulier alvi profluvio non [illegible].
Sanitati nocivus non eſt potus coffeæ.
Ab immoderatâ perſpiratione [illegible].
Ad ſanitatem non confert peregrinatio.

Has Theſes propugnabit M. PETRUS ANTONIUS MARTEAU, *Ambianenſis, Doctor Medicus Remenſis & Cadomenſis, Ambianenſis Scientiarum Academiæ ſocius, Theſeos Autor.*

In Ædibus D. D. GAUCHAIN, Collegii Decani clariſſimi, Anno R. S. H. 1764. die 16 Januarii à ſecundâ pomeridianâ ad Veſperas.